

partibus raritatem operentur, necessario, inflantur omnes, et altiores factæ, impetum quo possunt capiunt, et se se invicem tum coadiuvant, et impediunt, et eo conflictu varie agitantur, neque omnes hora eadem. Atque hinc est varietas illa horarum affluxus ad littora, a littoribusque parum distans, aut distans magis, prout retulimus ex Sagro. Sed cur statis horis sex, affluxus de quo agimus accedit, totidemque recedit. Nimirum, quia omnis motus fit in tempore. Neque tamen maior causa est, aut urgentior, cur de hoc potius queratur, cur senis horis fiat, quam si quereretur, cur alii illi motus diebus VII fiant, alii semestri, alii menstruo tempore, et semiannuo et annuo. Hic enim ordo, a mente pendet per animum, per spiritum, per huius instrumenta calorem, rarefactionemque et densationem neque est cum philosophis dicendum, ascende Luna ab ortu ad meridiem, affluxum descendente ab eo fieri refluxum. Hanc enim rationem per nauticam Græci et Garbini aliorumque ventorum historiam, falsam esse ostendimus. Sed causam esse diximus quoniam eadem vires, quæ affluxum operantur rarefactione, nulla re vel diminuta, vel impedita, operantur et refluxum, densatione. Et quia illa sex horis inflat mare, horis sex aliis æqualibus, eadem illa deflat. Seu potius quod sex horis a proprio loco abierat vigentibus iisdem viribus, locum eum repetit, et quasi in circuitum mare se se in se circumvoluit. Nam dum altius factum, in decliviora currit, retro interim quasi se ipso exinatum deprimitur. Et dum adhuc crescit, a tergo decrescit, uti ad castella Veneta ostendimus. Et fit demissius. Eam vero declivitatem replere est necessarium, eo igitur mare necesse est recurrere. At non recurrerit, quod adhuc ad littus currit, ad littus enim currere adhuc cernitur, et duos contrarios habere motus tempore eodem. Recurrerit ergo eius ea pars, quæ a littore impetum cepit refluendi, et quam diximus a superveniente ingurgitari, et altitudinen eius subterlabere, quemadmodum in fluminibus ostendimus. Quod si ita fieri, rationabilius sit, quam Lunæ lumini, vel impedito, vel non illuminante, effectum hunc tribuere, iam mare, per affluxum manifestum et modo manifestum refluxum, cœlestes imitando ignes in circulum, duodenis movebitur horis, eumque diurnum, nocturnumque Solis Lunæque decursu bis repetet sicuti motibus aliis, motus planetarum omnes imitari mare demonstravimus. Et sicuti. Imitatur quoque perpetuo suo motu, perpetuum siderum circuitum. Et annualem Solis, et menstruum Lunæ, et semestri illius novilunia et plenilunia. Oportuit etiam horarum mari in esse motum, ut plene æthereos eiusdem originis, et cognationis fluores, ardoresque in motibus omnibus imitaretur, et similitudinem aliquam inde, et illuc referet. Id autem providentiae iam est opus, et intellectus, et animi ratione prædicti. Sed cur in novilunio, et plenilunio, velocius currit, et altius inflatur, in diesque utrumque minus facit. In quartis vero Lunæ, quietem habet, et fore mortuum videtur? Sane extrema et contraria omnia motum habent et faciunt magnum, ut calor, ut frigus, ut cætera contraria. Plenilunium autem et novilunium luminis Lunæ, et parentia et plenitudo contrariorum ratione æstus magnos in mari facit, ab his, quia minus sunt contraria, faciunt minores, et quanto ad minorem contrarietatem pergunt, tanto minorantur et æstus. In quartis autem quia ad æqualitatem venerunt, pugnamque omnino remiserunt, quiescunt æstus, nulla parte alteram superante. Eadem ratio est cur Luna in nostro hemisphæerto existente, luce cum tenebris contraria, et nostra maria, et ea quæ in altero sunt apud antipodas hemisphærio, iisdem æqualibusque motibus commovet. Sed cur ad Sinegam in Atlantico, quaternis horis in littus ascendit affluxus, Octonis descendit? Tres remur esse causas, Oceani ab aperto impetum, littorum declivitatem, vadorum circum circa brevitatem et inæqualitatem. Priore causa rapidissime scandit, tertia facile superscandit. Secunda copiosior recipitur. In reditu, idem impetus obstat, eadem littorum declivitas, quæ divitius aquas retinet, et fundi inæqualitas impediens maris defluxum. Hæc autem manifesta est in Venetis, et littore, et stagnis. Similes quoque putandæ sunt causæ cur ad Garumnam, septenis accedat affluxus, quinis defluxus recedat.

*Finis Vigesimi noni Libri Pancosmiæ.*